





11

*DISPUTATIO PHYSICA,*  
*Natura & constituta-*  
*tione Physices*  
*NEC NON*  
*Causis Corporis na-*  
*turalis & huc spectantibus materiis*

*Quam*  
*PRÆSID E*  
*V I R O*  
*Maximè Reverendo , Amplissimo atque*  
*Excellentissimo ,*  
**DN. CONSTANTINO Ziegra/**  
S.S. Theol. Doct. ut & Philosophiæ naturalis Prof.  
Publico famigeratissimo , t. t. Facultatis Philo-  
phicæ DECANO spectabili,  
*Anno M DC LXXVII. d. i. Septembr.*  
*publice ventilandum*  
*proponit*  
**M. SAMUEL FRIDERICUS Mühlspfort/**  
Jenensis.  
*WITTE BERGÆ,*  
Literis MATTHÆI HENCKELII , Acad. Typogr.



*VIR O TU QZI*  
Magnifico, Nobilissimo atque Consultissimo  
**DN. GEORGIO ADAMO**  
*Sfruven/*  
**Hæreditario in Wanzleben &**  
*Benigen Zehna/*  
JCTo Consummatisimo, Sereniss. Ducum Saxo - Vina-  
riensium Consiliario Intimo eminentissimo, Facultatis  
Juridicæ Præsidi Ordinario, Curiæ Provincialis  
ac Scabinatus Assessori Primario,

*Dn. Patrono & Promotori devotâ veneratione  
eternum suspiciendo*

*Specimen hoc Academicum*

*D. D. D.*

*M. Samuel Friedericus Mühlfort  
Jenensis.*



כְּנָסֶה :

# BREVARII PHYSICI PROOEMIUM

De

Natura & Constitutione Physicæ.

PARS Ιηπηή.

§. 1.

**P**hysica est scientia corporis Naturalis, quatenus naturale est.

§. 2. Physica dividitur in partem Generalem, quæ corpus naturale in genere considerat, ejusdemq; causas & affectiones exhibit; & Specialem, quæ corporis Naturalis species perpendit, earumq; causas & affectiones proponit.

Εὐθοες.

§. 1. Physica δύναται φύσεως, à naturâ dicta, naturam indagandam præcipue & cognoscendam monet, hincq; non generaliter pro omnibus Disciplinis Theoreticis, sed specialiter sumitur, quatenus sc. reliquis contradistinguitur, Metaphysicæ A nem.

nempe, Pneumaticæ, Mathesi &c. Physicæ Genus scientia est. Habitum enim demonstrativus est. Affectiones namq; de suo subiecto per causas proximas & immediatas demonstrat. Differencia desumpta est à Subiecto, qvod est Corpus Naturale. Cujus notetur Materiale seu res ipsa in se considerata, qvod est corpus Naturale, & Formale seu ratio, sub qvâ & secundum qvam res illa cognoscitur, qvod est qvatenus naturale, i. e. qvatenus naturales habet causas naturalesq; affectiones.

§. 2. Fundamentum divisionis nostræ Physicæ desumitur ab ejusdem Subiecto, qvod corpus naturale esse, qvatenus naturale, diximus. Hoc ipsum ergò cum duplicitate in naturâ sese habeat, siquidem dantur qvædam, in qvibus corpora Naturalia conveniunt, qvædam verò in qvibus disconveniunt, Illa communia sunt omnibus corporibus Naturalibus, qvales sint Causæ Generales & Affectiones Generales: Hæc propria singulis, qvales sint Causæ Speciales & Affectiones Speciales: Hinc Pars Physicæ alia Generalis, Specialis alia est. In illâ communia omnibus Corporibus Naturalibus, in hac propria singulis traduntur. Sicq; adeò tribuitur cuilibet, qvod suum est, ut neque Specialia involvantur Generalibus, neque hæc ingratâ cantilenâ semel atque iterum recantentur.

BREVIARII PHYSICI  
PARTIS GENERALIS,  
CAP. I.

De

Causis C.N. in genere.

PARS Generis.

§. 1.

**C**AUSÆ CORPORIS N. sunt principia, qvæ inesse illius influunt.

§. 2. Di-

§. 2. Dividuntur in internas, qvæ Corporis N. essentiam ingrediuntur, ut Materia & Forma, & externas, qvæ Corporis N. essentiam non ingrediuntur, sed extrinsecus illud constituunt, ut Efficiens & Finis.

Entheos.

§. 1. De Causis agit Metaphysicus in actu signato, Physicus in actu exercito, h. e. causas considerat non quaslibet, sed corporis naturalis. Descriptio Causæ loco Generis principium habet, quod causâ latius & amplius. Ad illud sufficit processio vel emanatio & consecutio unius ad alterum; in Hac unius in alterum influxus & ab altero dependentia accedit necessum est. Differentiam dat influxus in esse Corporis N. Ubi notetur omnino, quod influxus hîc non accipiatur pro causatione speciali ipsius Efficientis, sed pro generali & communi influxu, quo quævis causa in suo genere in effectum influit. Verbo, influxus hîc intelligitur non tantum extrinsecus, sed & intrinsecus. Causatur & efficaci concurso effectum producit tamen Forma, Materia, Finis, quam Efficiens.

§. 2. Divisio Causarum non est generis in suas species. Sicut enim Causa non est verum genus, ita nec species hîc dantur univocæ, sed q. s. Species. Fundamentum vero habet in diversitate influxus. Quædam enim causæ velut essentiales partes corpus N. constituunt, quædam extrinsecus ad illud concurrunt: Illæ intra, hæ extra illud sunt. Omnes Causæ effectum producunt, Efficientis & Finis, ut Scaliger loquitur, extra essentiam manendo: Materia & Forma, unum fiendo: Materia est perfectibilis: Forma est perfectiva. Causas autem internas essentiam ingredi patet ex eo, quia Corpus N. essentia simplex non est, sed composita est duabus causis, Materia & Forma, qvæ unam essentiam compo-

A 2 nunt.

nunt. Sic Anima rationalis & corpus humanum causæ sunt intrinsecæ hominis, puta Filii, qvia in ipso homine manent hominisq; essentiam ingrediuntur & constituunt. Deinde Causas externas esse, qvæ Corporis N. essentiam non ingrediuntur, sed extrinsecus illud constituunt, constat ex eo, qvia Corpus N. nec à seipso est, nec propter seipsum est. Habet ergò Causam Efficientem, habet finalem. Qvæ causæ essentiam Corporis N. non ingrediuntur, sed extrinsecus illud constituunt. Causa efficiens est extra suum effectum, est extra essentiam sui effecti. Parens essentiam Filii sui non ingreditur, sed extra essentiam Filii sui manet. Aliás Parens non tam Filium generaret, qvam in Filium transmutaretur. Non ingreditur Architectus essentiam domūs, qvemadmodum nec Deus essentiam mundi. Finis movet efficientem, ne temerè & frustrè agat, sed nec hic quidem essentiam Corporis N. ingreditur. Ut enim Corpus N. non ex efficiente, sed ab eo, ita quoque non ex fine, sed propter finem est. Nec putandum adeò, verba in descriptione causarum externalium, qvibus harum ratio exprimitur, superflua fortean nec ad rem esse. Enimverò ponendum aliquid erat, non tantum negandum, cùm nuda negatio rationem formam causæ externæ non efferat.

## SECTIO PRIMA

*De*

### *Causis C. N. Internis, Materia & Forma.*

PARS I.

§. 1.

**M**ateria est causa interna, ex qvâ Corpus Naturale constituitur.

§. 2. Di-

§. 2. Dividitur in simplicem, qvæ pura  
materia est, cuius essentiam non ingreditur for-  
ma, ut est materia cœli omniumq; C. simpli-  
cium, & compositam, qvæ est integrum cor-  
pus, cuius essentiam tām forma qvām materia  
ingreditur, ut est materia hominis omniumq;  
Mistorum.

§. 3. Forma est causa interna, per quam  
Corpus Naturale constituitur.

§. 4. Dividitur in Genericam, qvæ spe-  
ciem non constituit, magisq; materiæ qvām  
formæ rationem habet; & specificam, qvæ spe-  
ciem constituit, variarumq; affectionum & ef-  
fectionum causa existit.

§. 5. A Materia & Forma re non differt Na-  
tura, voce Naturæ pro principio rerum natura-  
lium sumtā, estq; causa interna, qvā qvodvis  
Corpus N. haber essentiam, affectiones, actio-  
nes & passiones.

Expositio.

§. I. Materiæ, sc. ex qvā & constitutionis descriptio pro genere  
causam internam habet. Dicitur autem Materia causa, qvia veram

A 3

&c

& propriè dictam exercet causalitatem , non in formam tantum  
juxta nonnullos , eam recipiendo , sed præipue in totum compo-  
situm , id cum Formâ intrinsecè constituendo : Interna dicitur ,  
quia ingreditur essentiam Corporis N. adeò , ut sine eâ Corpus N.  
nec esse , nec concipi possit . Usqve adeò ut si detur corpus , mate-  
riatum sit necesse est , & si materiatum non sit , nec corpus sit . In  
hoc enim Corpus adæqvatè contradistingvitur Spiritui ita , ut  
qvicquid non est substantia corporea , illud sit incorporea . Diffe-  
rentiam dat propria Materiæ causalitas , influxus nempe , non ille  
omnibus causis communis , sed ad hanc restrictus unicè per ter-  
minum EX , qui strictè & accuratè loquendo soli competit Mate-  
riæ , sicut Terminus A soli Efficienti , Terminus PER soli For-  
mæ , & Terminus PROPTER , soli Fini . Qvod & B. D. Martini  
habet , aut , inqviens , qværimus , cujus gratia aliquid sit , & est Fi-  
nis , aut à qvo , & est Efficiens , aut ex qvo , & est Materia , aut per  
qvod , & est Forma .

§. 2. Veritas divisionis Materiæ in Simplicem & Compo-  
sitam è naturâ ipsa oppidò qvam clara & manifesta est . Cum  
enim Corpora Naturalia alia simplicia sint , composita alia , & in  
his alia minus , alia magis talia ; Materia etiam alia simplex , alia  
composita , & hujus alia minus , alia magis talis est . Ubi notetur  
insuper , qvia corpus totum esse entiale est , ad partes referenda est  
compositio , non ad Formam , qvæ æqvè semper simplex est , nec  
magis composita in homine , qvam in aëre , sed unicè ad Mate-  
riam , qvæ in homine conflata est è multis , in aëre è nullis . Unde  
ialis est corporum N. compositio , qualis est eorundem Materia .  
Enim verò simplicissimum est cœlum unâ cum quatuor Elemen-  
tis & Aquis Supracœlestibus , qvia materiam purè simplicem ha-  
bet : Respectivè simplices sunt stellæ , qvia materiam certo modo  
simplicem habent : Composita sunt mineralia , qvia compositam :  
Magis compositæ sunt Plantæ , qvia magis compositam : Maxima  
composita sunt Animalia , qvia maximè compositam habent ma-  
teriam . Cæterum Materia simplex pura est Materia , omni carens  
formâ . Nulla enim in eâ inveniuntur miscibilia , ipsa expers con-  
cretionis & compositionis est : Materia contrà composita inte-  
grum

grum est corpus, plurimis constans substantiis, multasq; & materias & formas in se recipiens. Notes vero hic velim, qvòd cùm materiam dicimus corpus, hoc accipi debeat in modum partis, neutiquam Totius. Nam sic Materia non est corpus, sed potius Materiatum; præterea, qvod Miscibilia illa, qvibus Materia redditur composita, rationem Materiæ habent, Formæq; adeò subjiciantur, & cum eâ demum mundi speciem exhibeant.

§. 3. In descriptione Formæ Generis loco etiam Causa interna est. Causa est, qvia influxum verum & realem præstat ad productionem Compositi: Interna est, qvia extra compositum non manet, sed essentiam ejus ingreditur. Differentiam dat particula Per. Per Formam enim Corpus est, qvod est.

§. 4. Divisio fundatissima est in natura. Qvia enim Formæ qvædam Materiæ indolem induunt, & ab aliâ superiore reguntur ac informantur: qvædam vero speciem constituent, & specificarum affectionum & effectionum causæ sunt; Hinc alias fecimus Genericas, Specificas alias. Sub Genericis comprehenduntur tûm Subordinata, qvæ lege naturæ Specificæ Formæ ad tempus aliquod subest, donec excusso jugo illius servitio exit, & ipsa specifica evadit. Formæ nomen obtinet ratione materiæ suæ propriæ, in qvâ est; Materiæ vero, ratione Formæ Specificæ. Sic Formæ Elementorum misi corporis Formæ Specificæ subordinatae sunt, & qvamdiu illæ mixto insunt, tâm diu ad materiam spectant, proprio formarum officio destitutæ; Ita mutantur plantæ in plantas, bruta in bruta, triticum abit in lolium &c. tûm accidentaria, qvæ sine naturæ lege ad tempus inest aliquibus corporibus, dicta Accidentaria, non ratione sui; Sic enim omnis Forma Substantia est, sed ratione alterius, corporis nempe, cui per accidens inest, ideoq; & adesse & abesse potest sine essentiæ & integritatis ejus lassione. Has spectamus in nutrimentis & medicamentis

tis cump̄imis (ubi notes velim, qvod animam vegetativam  
in plantis & sensitivam in brutis attinet, Logicam potius con-  
siderationem esse qvām Physicam.) Specifica sola Domina &  
princeps reliqvarum est, regina est, cæteræ Ministræ : Hæc im-  
perat, Hæc propria est : Hæcactus verus & ultimus est, qvia  
actuat materiam eamqve determinat ad recipiendam certam  
speciem. Hæc dat esse rei specificum, distingvi specificum,  
operari specificum ac proprium. Per eam res in esse consti-  
tuitur, & per eandem ab omnibus aliis rebus distingvitur.  
Adeoqve perfectissima & nobilissima omnium Forma est. Ta-  
lis est in homine Anima rationalis, reliqvorum corporum  
formæ nominibus peculiaribus carent.

§. 5. Natura, sumta pro principio rerum naturalium  
interno, cujus beneficio sunt & operantur Materia & For-  
ma, Materia ut principium passivum, Forma, ut activum, lo-  
co Generis causam internam habet. Est enim Natura prin-  
cipium intrinsecum, non extrinsecum. Neqve Natura est  
tertia aliqua causa, Materiæ & Formæ contradistincta, neqve  
à Materiâ & Formâ qvoad rem, sed saltem qvoad nomen &  
novum respectum differt. Antea disjunctim consideratae sunt  
Materia & Forma atqve absolutè in ordine ad constitutionem  
Corporis N. nunc conjunctim spectantur in unâ Naturâ & re-  
spectivè in ordine ad naturales affectiones & passiones. Qui  
tamen novus respectus novam rem non facit. Differentiam dat  
Naturæ causalitas. Qvia enim Natura & Formam & Mate-  
riam includit, illam ut principium activum, hanc uti princi-  
pium passivum, ideo Forma dat esse Corpori N. dat distin-  
gvi & operari seu essentiam, affectiones & actiones : Materia  
verò passiones. Ubi notes insuper, Naturam ab arte maximè  
differre, ceu B. Sperlingius in Instit. suis Phys. p. 162, accurate  
tradit, qvem vide sis.

SECT.

## SECTIO SECUNDA

*De*

### *Causis C. N. externis, Efficiente & Fine.*

PARS Tertia.

#### §. 1.

**E**fficiens est causa externa, à qvâ Corpus N. producitur.

§. 2. Dividitur 1. in universale & particolare. 2. in remotum & proximum. 3. in principale & instrumentale. 4. in totale seu Solitarium, & partiale seu socium. 5. in perse & per accidens.

§. 3. Finis est causa externa, propter qvam corpus N. producitur.

§. 4. Dividitur in universalem, qvi vel absolutè talis, vel respectivè; & particularem.

*Enthousias.*

§. 1. Quemadmodum omnia Corpora N. Materiam habent & Formam; sic etiam Efficientem & finem. Nullum à seipso, nullum propter seipsum. Hinc externæ juxta ac inter-

B

næ

næ causæ h̄ic considerandæ , quantum tamen forum admittit physicum. Generis vicem subit Causa externa. Efficiens enim non ingreditur effectum suum , sed extrinsecus saltem id constituit. Parentes non ingrediuntur essentiam filii , nec animæ parentum essentiam animæ filii. Non ingreditur Deus essentiam mundi &c. Differentiæ , propria Efficientis causalitas, notata per particulam characteristicam A.

§. 2. Omnia Causarum Efficientium genera & conveniunt inter se & disconveniunt. Conveniunt in influxu , q̄i omnibus communis est , disconveniunt in modo influxū , q̄i singulis peculiari. Opponuntur sibi non in puncto causæ , sed in puncto talis vel talis causæ. 1. Efficiens Universale est , qvod ad unum & certum corpus N. producendum determinatum non est. Estq; vel primum , qvod supremum est , & cujus influxu cuncta corpora N. producuntur , ipsum verò Superioris causæ influxum ferre nequit. Tale est Deus , à qvo corpora N. omnia & singula ; vel Secundum , qvod non planè supremum est , & cujus influxu multa quidem corpora N. producuntur , sed ita , ut & hoc ab influxu Superioris causæ dependeat. Tali sunt corpora cœlestia . Particulare verò est , qvod ad unum & certum corpus N. producendum determinatum est. Sic homo tantum hominem generat , Leo Leonem. 2. Remotum est , qvod corpus N. mediatè & aliarum causarum interventu producit : Proximum verò , qvod immediate. Et illius & hujus ratio consideranda probè est , ne illa huic præferatur. Per hanc enim Physica scientia audit , cum scire sit rem per causam proximam cognoscere . Unde in generatione ranarum , vermium , similium , pessimè res ad solēm defertur. 3. Principale est , qvod corporis N. productionem per se intendit , nec ad producendum illud ulli alii causæ inservit. Sic Parentes sunt causa principalis filii ; Instrumentale verò , qvod corporis N. productionem per se non intendit & ad producendum illud principali inservit. Sic Spiritus & calor sunt instrumenta

menta generanti ad productionem geniti inservientia. 4. Totale sive Solitarium est, qvod solum sufficiens est ad corpus naturale producendum. Sic Deus ut causa solitaria in principio creavit cœlum & terram : Sic planta plantam ; Partiale & Socium verò est, qvod solum sufficiens non est ad corpus N. producendum, sed alterius similis operam & concursum reqvirit. Sic causæ sociæ producendi hominis sunt mas & fœmina, Eqvi, eqvus & eqva. Ubi notetur, causam solitariam non omnium causarum concursum excludere sed similis saltem : Ipsam præterea reqvire operam similis, non tam similitudine essentiæ, qvam influxus. Tandem 5. per se est, qvod ex intentione corpus N. producit. Sic homo generans hominem perfectum causa per se illius est ; per accidens verò, qvod incidenter & sine intentione, sic homo generans hominem monstrosum, causa per accidens illius est.

§. 3. Finis describitur per causam externam. Ipse enim causa est, qvia verum influxum & causalitatem habet atqve exercet, non movendo tantum efficientem, instigando & exstimulando, sed & amabilitatem mediis conciliando : Externa est, ob rationem §. 1. adductam. Differentiam constituit propria finis causalitas, expressa per vocem Propter. Propter Finem omnia Corpora N. producuntur, conservantur, operantur.

§. 4. Finis Universalis absolutè talis est, cuius gratiâ totum Mundi Systema à Deo creatum, hucusque conservatum, & porrò conservandum est. Talis est gloria Dei; respectivè talis, cuius usui totus mundus cum omnibus suis partibus inservit. Talis est Homo, Mundi Epitome, & Naturæ delitiae : Particularis verò est, ad qvem tanquam bonum suum res qvævis in suo genere è naturæ præscripto tendit ; Sic finis hominis est sapere, solis lucere, lunæ menses constituere. Qvæ finis divisio fundamentum suum habet in ipsis Corporibus Naturalibus.

## SECTIO TERTIA

*De*  
*Fortuna, Casu, Monstro & Fato.*

PARS *De lux.*

§. 1.

**F**ortuna est causa peraccidens in actionibus hominum certo consilio susceptis, ubi præter intentionem aliis nonnunquam accidit eventus: Sic cum Agricola terram fodit & thesaurum invenit.

§. 2. Dividitur in Bonam, cum eventus, qui accidit, bonus est. Sic bona fortuna est, cum rusticus terram fodiens thesaurum invenit: & Malam, cum eventus, qui accidit, malus est. Sic Fortuna mala est, cum rusticus terram fodiens frangit rutrum.

§. 3. Casus est causa per accidens in actionibus rerum naturalium ob certum finem susceptis, ubi præter intentionem aliis nonnunquam accidit eventus. Sic cum tegula de tecto decidit & vulnerat prætereuntres, casus est.

§. 4. Dividitur in bonum, cum eventus, qui accidit, bonus est. Sic casus bonus est,  
cum

cum vitrum de mensâ cadit, nec tamen frangitur: Malus est, cum eventus, qvi accidit, malus est. Sic casus malus est, cum tegula de tecto cadit, & prætereuntem occidit.

§. 5. Monstrum est effectus naturalis cum insigni deformitate à causâ deficiente & aberrante productus. Sic monstra sunt homo biceps, monoculus &c.

§. 6. Dividitur in id, qvod speciem mutat, estq;, qvod ab aliis effectis & perfectis specie differt, ut Mulus; & in id, qvod speciem servat, estq;, qvod ab aliis effectis rectis & perfectis specie quidem non differt, sed tamen aliâ quâdam enormitate & deformitate ab iis discrepat, ut bicipites, Monoculi, & hoc est, vel circa sexum, vel circa constitutionem partium, sexu illæso.

§. 7. Fatum est ordo in causis naturalibus effectus suos infallibiliter & inevitabiliter inferentibus à Deo glorioso præcognitus, præordinatus & præstitutus.

§. 8. Fatum est vel Theologicum, vel Astrologicum, vel Physicum, vel Stoicum.

Enθeis.

§. 1. Præter causas hactenus traditas, internas sc. & externas, occurunt etiam in physicis contemplandæ non quidem directè, sed indirectè, non per se, sed per accidens aliæ causæ, Fortuna scil. & Casus. Fortunæ genus causa per accidens est. A quo enim indirectè ac incidenter procedit effectus, illud est causa per accidens. Major fundatur in ratione causæ per accidens. De Minore jamjam. Differentia desumitur partim à materiali partim à formalí. Materiale sunt actiones hominum certo consilio suscepτæ: Formale sunt inexpectati & accidentales eventus. Illud vult, ut actio fiat cum ratione; Hoc, ut cum actione illâ aliquid fortuiti conjungatur, qvod intentum antea non erat.

§. 2. Eventus bonus, bonam: Malus, malam dicit fortunam. Et ut variant sententiæ de fortunâ bonâ juxta & málâ, ut & utriusque causis, ipsis etiam fortunatis vel minus talibus; Ita asseveramus nos, qvemlibet fortunæ suæ fabrum esse vel obedientiâ & inobedientiâ, cum oculatissima sit Dei providentia, qvæ omnia in toto mundo regit & gubernat sapientissimè, sanctissimè, justissimè.

§. 3. Casus descriptio constat Genere & Differentiâ. Illud causa per accidens est, ob jamjam adductas rationes: Hæc constat materiali, qvod actiones rerum naturalium ob certum finem suscepτæ sunt, & formalí, qvi sunt inexpectati & accidentales eventus. Ubi notandum, maximam inter Fortunam & casum intercedere cognitionem, ab hoc enim illa non differt formaliter, sed materialiter, non ratione naturæ suæ, sed ratione objectorum. Licet non negemus, generaliori vocis acceptione non nunquam etiam casum iis assignari, in qvibus electio locum habet. Hinc homicidia casualia in ore omnium, qvæ specialius fortuita dicenda fuerunt.

§. 4. Ut Fortuna, sic Casus dividitur. Qvæ enim casu sunt, nunc bona nunc mala sunt, adeoq; casum nunc bonum nunc malum denominant, cœu exempla adducta rem probant & illustrant.

§. 5. Qvia Naturæ non tantum ἔγγα, sed πάρεγγα dantur, qvò Monstra spectant; Dè his, tanquam casus exemplis non minus

nus sollicita est Physica, qvām de Fortuna & Casu. Constat autem descriptio Monstri Genere & Differentiā. Genus defumitur à materiali, qvod est effectus naturalis. Vocabulum enim Monstri cum sit concretum aliquod, qvod ex Subjecto seu materiali, & formā denominante seu formalī conflatum est, per materiale, qvod est opus naturae sive corpus N. qvod hīc effectum naturalem dicimus, definiri debet, qvia monstra in ordine ad casum consideramus. Sicut ergo casum per causam, sic monstrum per effectum definimus. Differentiam largiuntur Formale & Efficiens. Formale est insignis deformitas, qvæ principaliter voce Monstri notatur, totaq; præstat, ut monstrum sit monstrum. Dicitur autem insignis: Levis enim aut aliqualis saltem deformitas monstrum non facit, sed notabilis & maxima. Efficiens causa deficiens & aberrans est. Omnia entia in universum monstra à causis oriuntur deficientibus, aberrantibus, peccantibus. Dato enim effectu cum defectu, qvo nomine etiam excessus venit, cum omnis egressio à mediocritate ad extremum defectus sit, sive ad summum fiat sive ad imum, causa etiam non tam efficiens qvām deficiens quærenda, ponenda est.

§. 6. A Subjecto Monstrorum corpora cūm simplicia tūm mista inanimata excludimus. Subjectum verò animata cumpromis, Plantas sc. & animalia statuimus. In plantis dari Monstrum, nemo facile ibit inficiās. In animalibus autem præcipue monstra usitata esse, pronunciamus, aliaq;, qvæ speciem mutant, alia verò, qvæ servant. Illius generis est mulus. Nec enim eqvus est nec asinus, sed partim eqvus partim asinus &c. Hujus sunt & quid ratione sexūs qvædam sexūs dubii, qvædam sexūs utriusqve. Ratione constitutionis aliarum partium sexu illæso Monstra dantur ratione Numeri vel in defectu, qvando pars qvædam abest, qvæ adesse debebat, ut cum nascitur homo absq; capite, brachiis, pedibus &c. vel in excessu, qvando pars qvædam adest, qvæ abesse debebat, ut homo capitibus duobus; ratione Magnitudinis, iterum vel in defectu, qvando jam totum corpus enormiter à communi mensurā recedit, ut censem de Pygmæis, jam cum homo nascitur curtorum brachiorum, pedum; vel in excessu, qvando jam totum corpus plus justo augetur, jam pars qvædam insigniter excedit,

*Fatidicitate & Causa. Causa & Effectus. Causa & Effectus. Causa & Effectus.*  
cedit, ut cum nascuntur Gigantes, Megalocophali &c. ratione unitatis, quando partes vel continuitatem vel contiguitatem debitam amittunt, ut cum nascitur infans apertis nimium multumq; hantibus labris, ratione tandem conformatio[n]is, cum alia peccant in figura, alia in superficie, alia aliter.

§. 7. Hactenus adductis & traditis corporis N. causis non abs re facturos nos arbitramur, si subjiciamus doctrinam de Fato, cuius descriptio, qvæ cum primis fatum Physicum describit, constat Genere & differentiâ. Illud, qvalecunq; etiam sit, est ordo causarum, qvem alii vocant seriem causarum, alii nexus. Ipsum enim fatum non est una causa, sed causarum collectio & series ad effectus certos applicata. Differentia desumta est à causarum illarum restrictione & limitatione, notatq; primò, ad fatum tantum spectare causas naturales, non verò liberas; Liberæ enim causæ effectus suos ita producunt, ut soli Deo, non autem causis aliis subjiciantur. Hinc in istis nulla habetur infallibilitas & inevitabilitas, sed contingentia & mutabilitas. Secundò, causas illas ad effectus suos esse relatas. Namq; Fatum non nudam causarum seriem notat, sed applicationem istarum ad certa effecta connotat. Tertiò, istam causarum seriem à Deo esse præcognitam, præordinatam, & præstitutam. Nihil enim causæ secundæ operantur, qvod non sit à primâ prævisum & præordinatum.

§. 8. Divisio Fati non est generis in suas species, sed distinctionem saltem vocis juxta varias acceptiones. Fatum enim Theologicum est æternum Dei decretum & consilium de omnibus rerum eventibus in præcipiendo, agendo, permittendo & determinando consistens. Sic fato fiunt divites & pauperes, pulchri & deformes &c. Fatum Astrologicum est astrorum in corpora inferiora influentia, variè ista regens ac dirigen[s]. Sic fato fiunt Eclipses, tempora, anni &c. Fatum Physicum est omnium causarum naturalium ordo, effectus necessarios & infallibiliter inferens, Deo Naturæ autori subjectus. Sic fato fiunt frigora, aestus, venti, pluviae aliaq;ve. Fatum Stoicum est absoluta rerum necessitas ex siderum influxu aliarumq; causarum creatarum nexu orta, omnes actiones cùm humanas tùm divinas respiciens. Sic fato hoc ipse Deus quoq;ve numen Parcarum carcere clausum fingitur.

Nov. 2000  
Bd.



# Farkarte #13

B.I.G.

Blue      Cyan      Green      Yellow      Red      Magenta      White      3/Color      Black



11  
PHYSICA,  
conflituum  
yfices  
ON H  
poris na-  
antibus materiis  
IDE  
Amplissimo atque  
simo,  
J TINO Siegra/  
losophiæ naturalis Prof.  
t. Facultatis Philo-  
spectabili,  
II. d. i. Septembr.  
landum  
nit  
ERICUS Mühlpfort/  
sis.  
ERGÆ,  
CKELII, Acad. Typogr.